



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 106. An pueri ante pubertatem etiam censuras incurant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

Nam ad ea, ff. de Legibus, atqui communiter non contingit usus rationis ante septennium completum, ergo. Utraque sententia est satis probabilis : vide dicenda l. 3. p. 1. n. 615. & p. 2. n. 1267. Item vide Delbene de Imm. Eccles. c. 13. d. 1. & seqq.

Q. 106. An pueri ante pubertatem etiam censuras incurvant. R. Incurrunt aliquas, non omnes, uti dicetur l. 7. c. 1. ad dub. 3.

Q. 107. Quomodo peccant Clerici non observantes legem civilem. R. Clericos directe & per se obligari potestate directivâ legis civilis, docet cum aliis, quos citat, *Castrop.* tr. 3. d. 1. p. 24. §. 6. n. 6., hinc consentit cum eis etiam *Diana* p. 6. tr. 8. R. 4. in fine, Clericos peccare mortaliter, si eis non pareant, quia sunt cives & pars præcipua civilis Reip., ad quam totam diriguntur leges: & hanc sententiam dicit esse valde probabilem *Burgh.* cent. 2. cas. 53. E contrâ *Suar.* *Vasq.* *Az.* *Fil.* *Bonac.* *Tann.* *Laym.* *Barbos.* *Bustemb.* suprà cum eodem *Burgh.* & *Delbene* de Imm. Eccl. c. 8. d. 2. etiam probabiliter dicunt non obligari directe, cum sacerdotalis in Clericos non habeat jurisdictionem, uti ostendetur l. 4. n. 1381. & 1410. Itaque tenebuntur tantum indirecte, ex vi legis naturalis dictantis partem unam communitatibus debere se conformare cæteris, in illis, quæ bonum commune concernunt, - ad quam conformitatem statuendam Ecclesia leges civiles non improbat, uti pluribus deducit *Delbene* c. 9. d. 2. Hinc infert *Burgh.* cum *Salas*, *Caspensi*, *Bonac.* d. 1. q. 1. p. 6. n. 53. *Delbene* n. 12. & aliis, Clericos probabiliter peccare tantum venialiter, si agant contra ejusmodi legem civilem, quia disformitas illa partis à toto non videtur gravis, per se loquendo, secluso scandalo & gravi damno Reip. Quod si ejusmodi transgressioni imposita sit poena, v. g. si fruges efferantur